



14

10

1707

6

FACULTATIS THEOLOGICÆ,  
IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI

DECANUS

IO. GEORGIUS  
NEUMANNUS,

SS. THEOL. D. & P. P. TEMPLI

OO. SS. PRÆPOS., CONSIST.

ECCLES. ASSESOR ET A-

CADEM. BIBLIOTHE-

CARIUS,

CIVIBUS ACADEMICIS

SALUTEM PLURIMAM DICIT,

ET

GRATIAM SPIRITUS SANCTI

UBERRIMAM

APPRECATUR.



1707



Um Apostolica jam aetate,  
in Ecclesiam clanculum ingressi  
fuisent, sive Pseudapostoli, sive  
ipsum Antichristi praecursores;  
divus JOANNES, magnus ille  
Evangelii praeco, verissimiqve  
nominis Apostolus, auditoros

1. Jo. II, 20.  
27.

suos, ut a praesenti erroris periculo retraheret, sic  
commonendos duxit: *Unctionem habetis a Sancto illo,  
& noscitis omnia: quod paucis interjectis, iterum repe-  
tit: Unctio, quam accepistis ab eo, manet in vobis, &  
non necesse habetis, ut quisquam doceat vos, sed sicut ipsa  
unctio docet vos de omnibus, & verax est, & non est men-  
dacium; igitur sicut docuit vos, manete in ea.* Ecquid  
vero sibi vult Unctio illa, & quare commendatur,  
tantopere, ut ipsamet doctrina atque institutio in  
contemptum adducta videatur? Fanatici certe id ur-  
gent, eoqve ad oraculum istud, velut ad saxum, ad-  
haerescunt, & in hoc uno magnum sibi perfugium  
relictum putant. Weigelius enim famosus superi-  
orum temporum sectarius, magno supercilio: *non  
opus habere, ait, Christianos, externi verbi ministerio,  
eo, quod unctionem habeant a Sancto illo, & norint omnia.*  
Robertus autem Barclajus, Tremulorum primiceri-  
us, Unctionem hanc Scripturis opponit, & unicam il-  
lam regulam esse contendit, internoscendi atque dis-  
cernendi Pseudopphetas; quippe quae internum  
atque immediatum doctorem designet, intus nos  
illu-

Dialog. de  
Christiani-  
smo p. 32.

Scripta publica  
Universitatis Vitebergensis  
†1707-1725.

---

Alia.

---



illuminantem, omniaque edocentem: id quod præ-  
 ter omnem Fanaticorum morem, hoc argumento *Apolog. Tb.*  
 evincere laborat: *Qui habet Unctionem in se manen-* *II, p. 25.*  
*tem, qua docet illum omnia, ita ut non necesse habeat, ut*  
*aliquis eum instruat, is habet internum & immediatum*  
*doctorem; Jam sancti talem unctionem habent: Ergo.*  
 Tum & Wilhelmus Penn, a quo Pennsylvaniam A-  
 mericæ insulam, quam ipse incoluit, nomen traxis-  
 se accepimus, negat, ullam vel Scripturæ interpre-  
 tationem, vel doctrinam amplectendam esse, nisi *Sorberung*  
 quam ex Unctione hac profectam sentiamus; ver- *fürs Gericht.*  
 ba non affero, quando religio mihi est, quævis de- *p. 78.*  
 lirantium somnia recitare. Nec facile plures in hanc  
 causam accerso, quia omnium in id conspirant sen-  
 tentiæ: non opus esse præcone Evangelii externo,  
 dum suppetat internus; illum igitur seductorem,  
 hunc ducem atque doctorem esse; ab illo ne quidem  
 stititidum aliquod; ab hoc vero ipsa gratiæ cœle-  
 stis fluenta promanare. Ceterum, quam sibi uncti-  
 onem fingant illi, adeo obscure & perplexe propo-  
 nunt, ut ad pervestigandum istud mysterium, Delio  
 quodam naratore sit opus. Quot enim illorum sectæ,  
 tot fere sententiæ sunt, dum iuæ quisque hypothesi,  
 absurdissimæ licet, velificatur. Platonici sane, qui  
 simulata veritatis affinitate Ecclesiam vel maxime,  
 fefellere, animam ajebant, totam divinitate oppleri,  
 & sic ad divinationem & omniscientiam reddi ido-  
 neam: *ὅλη θεοθεν μεθύουσα, tota divinitus inebriata est;*  
 ut habet oraculum Platicum, i. e. interprete Ple-  
 thone, *divinis cœlestibusque bonis cumulatissime impleta* *V. Orac.*  
*fuit.* Quod quidem tolerari poterat assertum, nisi *Zor. cum*  
 Paganam redoleret hypothesin, de *θεογενική ενώσει, καὶ* *Schol. Ple-*  
*thon. p. 32.*

100000

X 2

πλε-

*πλεισπρία*: i. e. deifica unione, & operatione magico ritu  
peracta, qua fieri tradebant posse, ut portio divina re-  
Myfter. S. Et. velationis, *μὲγς τῆς Ζείας ἐπιφανείας*, humanis mentibus il-  
III. c. 2. p. 61. laberetur, & sic rerum omnium acquireretur scientia; ceu  
prodidit Jamblichus. Nec verius Myfici, seu Pa-  
gano-Christiani, quorum causam hodie omnium a-  
cerrime propugnat Poiretus, hanc Unctionem expli-  
cant, quando divina particulam aura, adeoque Deum  
ipsum a primo vitæ exordio in homine habitare, fin-  
gunt, qui ubi filium gignat in centro cordis, ad *Lumen*:  
ubi Spiritum S. effundat, ad gaudium & tranquillitatem  
hominem excitari, omnibusque bonis divinis perfun-  
di tradunt, ut jam *θεοΦέγς* in hac vita evadat, vivamque  
DEI imaginem non tantum repræsentet, sed reddat.

*Vid. Ru-  
broch. in-  
Spei. Salut.*

p. 57.

adde Poiret. Fœdus commentum est, quod in Theophr. Para-  
Oecon. LIII. celfo & Roberto Fluddo, portentosis illis Philo-  
p. 688. 690. sophis notes; quorum alter hominem statuit, præ-  
ter terrestre, *sidereum* etiam corpus habere, illudque  
cum astris conjunctum; quod, si ab elementis per-  
somnia aut *πλειωσι* Hieraticam paulo liberius eva-  
dat, fieri, ut cum astris confabulari, mōneri de re-  
bus futuris, & in omnium rerum scientiam penetra-  
re possit. Alter vero eo temeritatis procedit, ut

*ap. Henr.  
Morum T.*

II. Opp. pag.

209.

*Gassend. in  
Ex. Fludda-  
ne Philof  
T. III. p. 224.*

Spiritum S. pro anima mundi, & cujuslibet corporis  
animam, pro anima mundana scintilla vendit. Quam  
quidem mundi animam, modo *Jebovam*, modo *Mes-  
siam* s. *Christum*, modo magnum angelum s. *miraton*,  
cum Cabbalisticis, modo *essentiam essentiarum & lapidem  
Philosophorum*, cum Chymicis, promiscue appellat.  
Quod si igitur hic lapis Philosophorum, animam tin-  
get, ut Chymicus loquitur, i. e. fortius afficiat, ani-  
metque, id vero ex mente Fluddi, *Unctio Spiritus  
nuncu-*



nuncupatur. Ita periculotum est, amisso Lydio  
 Scripturæ lapide, fidei mysterium, ad nescio quem  
 Philosophorum lapidem revocare. Ut sæpe indi-  
 gner, ne auctorem quidem moderni Schismatis,  
 qui alioquin Philosophiam nimio opere fastidit, a pro-  
 fano hoc philosophemate sibi temperare: *Deum esse*  
*essentiam essentiarum, quæ omnia sibi unta in naturam*  
*divinam tingat, i. e. convertat, exaltet. Sic adeo si.*  
*militudine nescio, quæ fallit Secta Platonico Mystica, judi-*  
*ciium Petavii est, quod & in Sectam PseudoChymi-*  
*cam quadrare existimo, quia quædam habet similia*  
*nostrorum. Ac propterea ut in metallis ac lapillis aut a-*  
*romatibus & seplasiariorum unguentis ea & usurpantur,*  
*& sunt ad adulterandum aptissima, quæ veris ac nativis pro-*  
*piora sunt: ita conditores heresum, & mangones ad cor-*  
*rumpendam fidei sinceritatem, Platonica potissimum in-*  
*venta miscuerunt. Sed valeant, qui pro auro carbo-*  
*nes, & pro veritate errores venditant, sola veri si-*  
*militudine delusi. Multo namque apertior est hu-*  
*jus oraculi sensus, quam ut officii istis obscurari,*  
*aut tot fallaciis & captionibus perverti queat. Tan-*  
*tumque abest, ut hic locus refugium Enthusiasticis*  
*præbeat, ut iisdem vel maxime obtet, & comple-*  
*tum jam perfectumque revelationis divinæ canonem*  
*esse, forniciter evincat. Nam initio quidem constat,*  
*Joannem ad exitum usque seculi Apostolici supervi-*  
*xisse, & jam centenario majorem, criticum sacro-*  
*rum librorum, & censorem egisse, i. e. digessisse ca-*  
*nonem N. T. approbasse*  
*quorum magnam eo tempore copiam fuisse, Lucas*  
*inquit, ex albo Scripturarum expunxisse. Cujus*  
*rei si nullum aliud extaret indicium; vel illud epi-*  
*phone-*

*Spener.  
 conc. Fun.  
 P. 2. p. 201.*

*Proleg. in  
 dogm. Theol.  
 T. 1. c. 3. §. 2.*

*V. Euseb. H.  
 E. 1. III. c. 23.*

*c. 1. 1. 2.*

phonema Evangelii id doceret, quo remotis ab usu  
 Ecclesiæ pluribus literarum monumentis, selecta tan-  
 tum quædam, quæ ad fidem & salutem æternam,  
 consequendam sufficient, in canone asseruari, Apo-  
 stolus testatur. Verum & Hieronymus sedulus an-  
 tiqvitatis indagator, id comprobat, & Joannem, ait,  
 cum Matthæi, Marci & Luca legisset volumina, probasse,  
 omnino textum historię, & veritatem eorum confirmasse.  
 Quam quidem approbationem, quorsum referebat,  
 tam studiose notasse, nisi a censore divinæ auctori-  
 tatis profectam credidissent? Namque & Eusebius  
 hujus censuræ diserte meminit; quando, perlata, re-  
 fert, in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam, tria  
 Evangelia, approbasse Joannem, δωδέκαδα i. e. rece-  
 pisse in canonem, & præterea veritatem scriptorum suo  
 testimonio confirmasse. Neque indignum memoratu,  
 quod Apostolus noster singulis, quos edidit, libris suis  
 aliquod *ἁποδοχῆς* s. approbationis *ἕνεκεν* adiecerit, ut  
 adeo de fugiendis Enthusiasticis, nec admittendis post-  
 hinc vanis *ἱεροπνευστίας* ostentatoribus Ecclesiam ad-  
 moneret. De Evangelii Joannei epiphonemate,  
 jam constitit; de Apocalypsi res perinde manifesta,  
 siquidem toti corpori Biblico colophonem, fulminea com-  
 minatione obsignatum imposuit D. Johannes, & posterior  
 utique reliquis Evangelistis, *ἁγ. δευτέρου* va. supplevit, uti lo-  
 quitur B. Dannhauerus. Nec in epistolis ejus po-  
 sterioribus hujus rei indicia desunt, hic vero loci,  
 adeo suppetunt luculenta, ut ex instituto, Scriptura-  
 rum S. obsignatio assera videri possit. Nam scri-  
 psisse se, memorat, filiis, juvenibus, Patribus, nunc  
 autem fortius eos urget, exhorrescerent ad Anti-  
 Christi & sociorum ejus ingressum, nec locum re-  
 linque-

Jo. c. XX, 30.

c. XXI, 24.

25.

Caral. Scr.

c. 9.

H.E. LIII, c.

24.

Apoc. XXII,

18.

Drum. S. P.

153.

v. 12. 13. 14. 17.

18.

linquerent impostoribus, qui novas subinde visio-  
 nes jactarent: *propter hos, inquit, scripsi vobis, metu-*  
*ens; ne vos seducant;* addita ratione, eademque ali-  
 quoties ingeminata: quod *χρῆσμα* Spiritus S. jam  
 effuso, omnia ubertim patefacta sint, nec quisquam  
 opus habeat, ut a quoquam plura, nedum alia doceatur.  
 Ceterum *χρῆσμα* s. *unctionem*, donorum Spi-  
 ritualium esse Symbolum, ipsumque adeo Spiritum  
 S. hoc ipso *μετανοητικῶς* denotari, manifestum est fa-  
 tis; nec inter ipsos interpretes dissensus. Nimirum  
 ratio loquendi prophetica est, eoque Prophetam N.  
 T. apprime decet. Olim convivæ honoratiores per-  
 fundebantur balsamis aliisque fragrantibus ungen-  
 tis, ut hoc modo refecti ad lætitiã acrius excita-  
 rentur; quod refectiõnis genus inde, *oleum*, seu un-  
 guentum lætitiæ, dictum fuisse constat. *Prophe-*  
*tæ* igitur, quo fervebant *ἀδύνησεν* studio, *oleum*  
*sanctum*, itemque *oleum lætitiæ*, appellabant illam gra-  
 tiæ Spiritus S. ubertatem, quæ & Regibus & Pro-  
 phetis & Sacerdotibus recens initiatis, impertiebatur.  
 Cum igitur & Servator noster in Regem, Prophe-  
 tam & Sacerdotem tempore *οἰκονομίας* inungeretur;  
*ἡρώδης* s. *χρῆστος* i.e. Unctus κατ' ἐξοχὴν, in utroque sæde  
 re nuncupatus fuit. Quod nomen postea ad con-  
 sortes Messiæ transit, qui & ipsi a plenitudine ejus  
*χάρις ἀπὸ χάριτος*, imo ipsummet *χρῆσμα* i.e. *χάρισμα*  
 ultimum quasi complementum adepti sunt. Atque hoc  
 tantum beneficium cum elevarent, verbisquẽ nimium  
 deprimerent impostores, vindicanda ejus ma-  
 gnitudo atque asserenda fuit Apostolorum, quippe qui  
 tanti faciebat hoc *χρῆσμα*, ut omnem revelatiõnis,  
 quæ quidem expectari poterat, mensuram diceret  
 imple.

v. 26. 11

Pf. XXIII,  
 56. Cant. I,  
 5. Amos. VI.

Pf. LXXXIX  
 21. 1. Reg.  
 XIX. 16. Ex.

Pf. II, 2.  
 XLV. 8. Act.  
 X. 38. Joel. I,

16.

impleviffe; Itaque in hunc modum loqui videtur:  
*o. II, 28.* Quod per Joelem promiffum fuerat, de vifibili Spi-  
 ritus S. effufione; τὸ ἐν τῷ χεῖμα, ὃ ἐλάσεν; hoc il-  
 lud est unguentum, quod accepiftis. Quod paulo ante ad-  
 fcnfionem fuam prædixerat Servator. fore, ut bap-  
 tizaremini Flamine cœlefti; hoc illud est χεῖμα, quod  
 oculis veftris ipfo Pentecoftali Fefto ufurpatis. Per-  
 vulgatum est illud, & per omnes Synagogas decan-  
 ratum; *Job. IV. 25.* adventante Messia, omnia nobis revelatum iri;  
 postquam igitur venit Messias, plenum revelationis  
 χεῖμα a Sancto illo accepiftis, & omnia nunc noftis; & quia  
 omne confilium DEI vobis annunciatum est per A-  
 pofolos & Evangeliftas; nihil est, cur, vel cum Si-  
 monianis, majorem DEI virtutem, vel cum Gnofi-  
 cis majorem scientiam, vel cum quibuscunqve  
 ἐντυμαζουμένοις, illuftriores vifiones expectetis. Re-  
 deunt in orbem tempora, quibus videas fimili, vel  
 furore, vel novitatis ftudio abripi quamplurimos, qui  
 ex nescio qua unctioe malunt, quam institutione,  
 proficere in Theologia. Quo magis hoc feculum,  
 odio dignum est, quod isthuc hominum generitan-  
 topere indulget, ut suum illud nugarum regnum la-  
 tius indies amplificent. Nunquam inungitur cur-  
 for, nisi certet idem; nec quisquam sacro se χεῖμα  
 refectum iri, speret, nisi stadium laborum fuorum  
 rite decurrat. Quod restat, Cives, DEUM oramus,  
 ut Spiritus S. gratia vos perfundat, & totos delibu-  
 tos reddat; tum etiam vos hortamur, ut R. Sacer-  
 dotio, venerationis, obfeqvii, & præmii testimonium  
 declaretis luculentum; Itaque valete, Cives, & quod  
 voti nostri compendium est, Ferias hasce, publicos in-  
 ter ftrepitus, pie ac tranquille transfigite. P.P. Fe-  
 fto SPIRITUS SANCTI, clb̄o CCVII.

Wittenberg, Diss., 1707

Wittenberg, Diss., 1707

ULB Halle

3

003 588 122





f

g.

v. 1708







14  
10  
1707  
6

FACULTATIS THEOLOGICÆ,  
IN  
ACADEMIA WITTENBERGENSI  
DECANUS  
IO. GEORGIUS  
NEUMANNUS,  
SS. THEOL. D. & P. P. TEMPLI  
OO. SS. PRÆPOS., CONSIST.  
ECCLES. ASSESOR ET A-  
CADEM. BIBLIOTHE-  
CARIUS,  
CIVIBUS ACADEMICIS  
SALUTEM PLURIMAM DICIT,  
ET  
GRATIAM SPIRITUS SANCTI  
UBERRIMAM  
APPRECATUR.



1707